



POSITIONES

EX PHYSIOLOGIA SELECTÆ.



I.

MEDICINAM certò dari ignorare non potest quisquis est sui compos; & rationis habet aliquid ac iudicii. Corpus sanum conservat, ægro medetur. Utrum scientia dici debeat, vel ars? quæstio est parùm utilis. Duplex vulgò distinguitur, *Theoretica* & *Practica*. Illa tradit præcepta; hæc adhibet tradita. Utriusque finis est sanitas. Optima hæc sit Medicinæ definitio, ars tuendæ valetudinis.

II.

MEDICINÆ quinque partes facimus, nimirum Physiologiam, Pathologiam, Semeioticem, Hygieinam, & Therapeuticam. Tres primæ partes ad *Theoriam*, alia duæ ad *Practicam* pertinent. Ex variâ Medendi methodo variæ emerferunt Medicorum sectæ. Hos quando benè, illos quando meliùs dicunt, sequare. Laus sua manet omnes. Veritas cujuscunque temporis est.

III.

PHYSIOLOGIA hominis integrè sani naturam persequitur: hinc illa est artis veluti fundamentum. Elementa, Temperamenta, Humores, Spiritus, Partes, Facultates, & Functiones perscrutatur. Prima quædam sunt corporum principia. Quænam illa? disputatur: alii alia assignant. Elementa sensibilia quatuor agnoscimus, ignem, aëra, aquam, terram, quæ mutantur in invicem. Chymicorum principia ambigua sunt & confusa.

4
IV.

TEMPERAMENTUM ritè definiatur ipsius corporis nativa constitutio; quæ à præcipuarum partium conformatione, ab humorum præparatione, motu, & secretione, ab unius aut plurium excessu repetenda est; hinc melancholicus ille vel pituitosus, alter sanguineus vel biliosus dicitur. In explorandis ejusmodi temperamentis, major est sæpè ostentatio, quàm utilitas. Quæ de temperamentis ad pondus & ad justitiam dicuntur, nugæ sunt.

V.

SANA mens in corpore sano, summa temperamentorum juxta & votorum debet esse. Corpus non incommodè dicitur quædam ex fibrarum simul nexarum, & variè contortarum aggerie structa compages. Eadem illæ omnes, modò in membranarum telas expansæ, modò in cartilagineas & ossa induratæ, collectæ in nervos, productæ in vasa, contractæ in glandulas, viscera & musculos, à fluido per eas propulso, veluti ab elatere quodam agitantur.

VI.

PARTES omnes à cerebro, si non originem ducere, saltem evolutioni habere principium suæ probabilis est conjectura. Oeconomia corporis à tubulorum quibus idem constat situ, ordine, nexu, figurâ, vi tensili, proportionem, & commissurâ non solum pendet: his etiam accedit liquorum mixtura, temperatio, cursus, æquilibrium, & impetus. Ejusmodi liquores varii sunt variæque indolis, omnes in sanguine permixti & confusi.

VII.

QUEM habent usum in machinis Hydraulicis aqua, & in Pneumaticis aër, eundem in humano corpore spiritus & liquores obtinent. A sanguine perenniter secernuntur, & effluunt in propria vasa, modò sint utiles, refluxuri; vel foras expellendi, si profus inutilis. Plurima sunt viscera, quibus tanquam colis expurgatur sanguis. In cerebro spiritus, in hepate bilem, in renibus urinam, in testibus semen, in cute sudorem, &c. deponit.

VIII.

GLANDULA est rete quoddam fibris elasticis contextum, in cujus areolis consistæ sunt vesiculæ tubulique ad liquorum secretionem. Fiunt ejusmodi secretiones absque fermentis secernenti cuique parti insertis. Liquorum motus, determinatio, resistentia, & velocitas; vasorum figura, contextus, longitudo, & diameter percolationem faciunt.

IX.

CONTINUA fit corporis per cutim dissipatio: hinc alimentorum necessitas. Digestio est ciborum in tenuissimas partes resolutio. Utrum illa calore solo ventriculi fiat, an triturâ, an fermentatione, quæ ab acido, seu dissolvente succo producatur? gravis est hodie controversia. Fermentum aliquod stomacho inesse, quod partim ex salivâ alimentis affusâ, partim ex liquore in stomachi glandulis supersit, vel fortasse etiâ ex veteris chyli reliquiis dimanat, contendimus.

X.

HUMOR ex cibis digestis effluens, chylus est, qui variis, quas peragit, circuitionibus fit sanguis. Triplex est particularum in sanguine motus, confusus scilicet, rectus, & volubilis. Dilatur cor, & constringitur. Dum dilatur, sanguinem à venis effluentem excipit; dum contrahitur, eundem in arteriis protrudit. Cordis mucro ad basim accedit, idem è basi recedit. Ille systole, hic diastole nuncupatur. Cor musculus est, & musculi ratione movetur.

XI.

AERIS spiritu accipiendi & reddendi eadem est necessitas. Sanguinis motum adjuvat respiratio, quam efficiunt musculi thoracici cum diaphragmate. Thoracis motus respiratio dicitur, cujus duæ sunt partes, inspiratio, & expiratio. Illâ thorax dilatatur, pulmones accipiunt aërem, & inflantur; hæc thorax comprimitur, pulmones concidunt, aërem reddunt. Respirationis materia est aër, qui gravis est simul & elasticus.

XII.

PARTICULAS aëris per meatus pulmonum sanguinem subire probant halitus, qui unius diei spatio ad semilibram expiratione cum aëre redduntur. Per eisdem meatus sanguinem subeunt pariter venenata illa corpuscula quibus aër inficitur, quando contagiosæ febres malignæ grassantur. Foetum in utero matris non respirare probant pulmonum densitas, rubor, gravitas. Ubiprimum illi semel hausserunt aërem, semper sunt rari, leves, & albidii.

XIII.

ANIMALIUM generatio videtur ænigma Physicis propositum, ut explacent leges tam constantis ordinis, ac tantæ varietatis. In omnibus animalium seminibus vermiculi seu animalcula microscopii exquisiti ope conspiciuntur. Quod si ita est, quidni ad generationem inserviant? An ab ovo igitur, vel à germine vermiculi formam referente animalia suam ducant originem? Rem fortasse dies planam faciet.

OMNIS animalium motus à spiritibus, sanguine & musculis perficitur. Fortasse spiritus animæ mandatum excipit, nervus deserit, musculus obsequitur. Partium actiones à fibris, quibus contextuntur, pendent. Fibrarum vis à spiritibus, quos totidem cuncolos dixeris, propter figuræ opportunitatem, & ad distendendas, & ad contrahendas musculorum fibras carneas. Qui è cerebro spiritus animales defluunt in musculos, motum spontaneum; qui è cerebello prodeunt, morum naturalem efficere creduntur.

EST in homine solo anima rationalis, quæ spiritualis, immortalis & creditur, & demonstratur. Corpori per operationem conjungitur. Quis scit, an semper cogitet? Non fit illa extraduce. Creatur à solo Deo, dum unitur corpori. Dum vita manet, vides, audis, uteris alijs sensibus. Ab his cogitandi plerumque occasionem mens accipit. Sensatio fieri incipit in organis externis, sed in cerebro perficitur, neque tamen in eâ parte cerebri, quæ glandula pinealis.

VISUS organum retinam putamus, in quâ distinctæ rerum imagines tum pinguntur; cum radiorum fasciculi à singulis objecti punctis prodeunt, sic in oculi humoribus, præsertimque in crystallino franguntur, ut cum ad ipsam pervenerint, in eisdem punctis colligantur. Olfactus in membranâ narum lamellas obducens; Auditus in nervi auditorii fibris; Gustus in linguæ, Tactus in cutis extremæ papillis nervosis positi videntur. Fames stomachi; sitis œsophagi vellitatio. Vigilia functionum animalium exercitatio est, somnus earum intermissio.

RERUM objectarum imagines non spiritibus tantum, sed etiam cerebri fibrillis imprimuntur. Harum plicaturas dum relegunt spiritus, eadem si leves fuerint, imaginatio fit; si fuerint altius signatæ, reminiscentia. Hæc est à summo rerum auctore Deo sancita lex, quando animum unâ cum corpore conjunxit, ut quasdam animi cogitationes, certi corporis motus, & vice versâ quasdam corporis motiones, certæ mentis perceptiones excipiant. Hæc animæ perceptio cum sanguinis & spirituum agitatione conjuncta, passio dicitur.

Hæc Theses proponebat JACOBUS LANGE, *Lexovianus,*

Artium Magister,

die Veneris 18. Novembris, A. R. S. H. M. DCCXII.

Padomi, ab horâ octavâ matutinâ usque ad meridiem.